

quemadmodum in genituris præfari solent Æthiopem, uerbi gratia, candidum aut leuibus capillis: Germanum uerò aut Gallum nigrū faciat & crispum. Aut hos quidem mites & literarum artium uel studiosos, Græcos uerò immanes & ineruditos, neue contra mores ac leges Italo decernat fororis matrimoniū, cum hoc apud Ægyptios, aut Ægyptio matris, cum apud Persas fas sit. Prorsus igitur præponere oportet uniuersalis Fatirationem, deinde singula aucta minuta uel accommodare.

Quod proposuerat in præcedenti textu nunc docet, scilicet ut naturæ rerū, id est, rebus ipsis quæ natura constant, consuetudine, legibus, accommodata doceat. Simul etiam particulari rerum explicationi, id est, ut hoc caput omnibus alijs inseruiat: Doceatque quando uxorem ducet, quando amicitias iniet, quando suscipiet filios, itinera ager, atque ita de alijs omnibus. Quare hoc agat est manifestum, docuimusque antea. Sed cur cōsentanea naturæ uideat frustra repetere, nam hoc superius in primo libro *Tex. 17.* declarauit: Nec decet in tanta breuitate præter solitum quicquam repetere. Id igitur non solum utiliter sed etiā necessario factū est. Cum enim singularia nō sint nisi moderatio generalium, ut uisum est, ita dicit diuisiones temporū polliceri nequeunt quod in genesi non promittitur. Hoc docuit quia plerumque necessarium esset in multis annorum circuitibus & multis genituris quædam magnifica contingere, quibus elati magna prædicamus, quæ tamen non euenient. Monet igitur nos omnia tã mala quam bona ad genesim esse referenda. Cuius exemplum præclarum habebis in nostra genesi, ubi directiones & reuolutiones egregiæ admodum, quod in alijs maximū decreuissent, mihi etiam maximum pro genituræ qualitate, præstiterunt. Ita contraria ratione in magnifica genesi aut infelicissima, minima queque magnos effectus, iuxta rationem genituræ, pariunt. Secunda causa est propter superuenientes constitutiones generales belli, pestis, naufragij: in quibus homo malum experietur, quo tempore bonum expectabat, iuxta diuisionem temporum. Tertiam causam (quia alias duas superius explicauerat in secundo & tertio libro) subnectit.

T E X T V S      L X X V I I.

Ita quoque in temporibus partiendis ætatū, in unoquoque decreto quid cuique conueniat prima ratio habenda est, ne ex uulgari & simplici exploratione per incitiā prædicamus puero nuptias, uiriles uel operationes, & decrepito seni liberorū procreationem, aut hisce iuuenilia: Sed in uniuersum quæ de temporum partitione tradentur prout ætas postulare uidebitur, interpretabimur.

Hæc est tertia causa erroris quā ponit Ptolemæus, & est propria diuisionibus temporū, ut nō prædicamus nisi cōsentanea ætatibus. Ergo in uniuersum tribus modis in diuisionibus tēporum aberramus iudicādo, uel quādo res nō conuenit ætati, uel genituræ, uel casui seu generali cōstellationi. In omnibus tamē cū fuerit significatum hoc ualde potēs, eueniet aliquid aut umbra talis rei: adeo quod in quibusdam casibus cū reuolutiones bonæ multæ sibi succedūt, & inuicē consentientes, in rebus fortune multū faciūt, ut in diuitijs, honoribus, & amicis. In lædendo etiā bonā ualitudinem: non tamen possunt in rebus animi uel corporis magnam mutationem facere.

Quod si res non bene cedant (Inquit Hali) cum illud præuideris ex syderibus, poteris equius tollerare, & promissa etiam augere: & ita in utroque casu non parū iuuat præscire futura quo tempore uentura sint. Et quicumque, dicit, magis est studiosus ueritatis quam diuitiarum aut honoris, poterit magnum fructum ex tali scientia colligere, & etiam res in melius mutare.

In uniuersum igitur oportet considerare constitutiones generales, ueluti si quis futurus sit ad bellum ex diuisione: Et bellum futurum sit exitiale ualde, ex minima occasione

casione